

Cassianum, quinque a Mediolano passuum millibus, castra locat. Veneti ad Binasum eadem via, Divorum Angeli, & Columbanii oppidis captis, confedere. Nuntio allato, a Scudo Lautrechii fratre nuper ex Galliis reverso, pecunia, quam secum attulerat, Genue milites comparari, Lautrechius Federicum Bozzolum cum quadringentis cataphractis, ac septem millibus, partim Helvetiorum, partim Italarum peditum obviam mittit, ut conjunctis copiis iter in Insabres maturent. Mantuanus Ticino egressus, quo facilius sejunctos opprimere posset, Gambalum profectus, numero hostium perterritus, re infecta revertitur. Nostri ad Gambalum, junctis cum Scudo copiis, Novariam iter faciunt, ac bellicis machinis, quæ in arce reperiebantur, moenia quatunt; mox per ruinas, prostratosque muros civitatem invadunt. Propugnatores alacri animo impetum excipiunt: utrinque pro moenibus pugna committitur: nonnunquam Galli repelluntur; verum sæpius redintegrata pugna, omnibus fere, qui custodiæ præerant, militibus interfectis, Philippo Torniello Præfecto capto, civitate potiuntur. Interim vero Sfortia Germanis stipatus militibus a Prospero Columna exceptus, ingenti lætitia, ac plausu Mediolanum ingreditur, Mantuano Principe cum duobus peditum millibus, trecentis levioribus, ac quinquaginta cataphractis equitibus Ticini relicto.

Ducis a Ticino discessu, imminuto militum præsidio, occasionem nactus Lautrechius, motis signis, eo citato itinere contendit; statimque ad urbem castra locat: nec minori celeritate Columna, ut periculo subveniat, mille e Cyrno insula, ac nonnullos præterea Hispanos milites oppidanis subsidio mittit, qui eximia virtute per medios hostes ad urbem sibi aditum, nonnullis interfectis, faciunt. Nostri a duobus lateribus moenia verberantibus, atque ad trecentos cubitos fere solo æquatis, Helvetii moræ impatientes copiam sibi urbis invadendæ fieri petunt: verum duces ardorem animorum lenire, atque nil temere tentandum rati cunctatione utuntur; cum eodem tempore Petrus Navarrus vir arcium expugnandarum, atque oppugnandarum ea tempestate peritissimus, subterraneos cuniculos ageret, quibus immensi operis propugnaculum subruere, ac disjicere statuerat, ut per illius ruinas

tu-

1522

Novaria
a Ticino
ex-
pugnata.

Novaria
a
Gallis
ex-
pugnata.

Lautre-
chius Tici-
num aggre-
ditur.